

Integrum hoc scriptum Consulum & Senatus Norimbergici ad principem Wolffgangum videatur in historia Aug. Conf. Lat. pag. 556. & seqq. Ex quo videre est, quanam de Cæna Domini doctrina & Confessio in Ecclesijs inclytæ illius Reipub. tum recepta & approbata fuerit. Quam Annis etiam subsequentibus 1563 & 1577. amplissimus urbis illius senatus iisdem verbis repeti, & Sacramentarijs clam se in Remp. illam insinuantibus opponi voluit: id quod contra vanissima impudentissimi Rabulæ Ambrosij Wolffij, figmenta, observatum est dignissimum.

113. Eadem planè fuit mens, idem animus reliquis etiam principibus & statibus propè omnibus Evangelicis, ut neglectâ mutatâ ac adulterinâ editione solius prototypi subscriptio ac confirmatio in conventu illo Naumburgico fieret: id quod ex Decreto illius conventus abundè liquet.

114. Et quid multis opus est, annon evidentissima Reclamationis loco esse potest, quòd tot Electores, tot Principes, tot Comites, tot civitates Imperiales, in sua in Formulam concordie præfatione disertè testatæ sunt, sibi cum mutata sive variata editione nihil esse commune, sed se solum prototypon

C 4 pro